

sum leges, hunc Authorem recogno-
 scunt, siue ipsiusmet testimonium expe-
 ctas, & ipse quidem de se loquens ait: Se
 quotidie discentem aliquid senescere:
 Siue famam publicam percontaris, & hæc
 tibi inter illos primos sapientiæ Profes-
 sores, præfert haud dubiè Solonem: Siue
 summi Philosophi auctoritatem mauiis,
 & in Platonis Timæo Solonem è nume-
 ro septem Sapientum primarium in-
 uenies: Siue vitæ finem interrogas, qui
 de actibus humanis incorruptissimus te-
 stis est, ille te docebit, quantus in eo pe-
 ctore viguisset studiorum ardor, quem
 nec senescentis corporis ruina, nec geli-
 dæ mortis vicinitas possit extinguere.
 Non habuit ad studium prætaxatas ho-
 ras, semper in exercitio mentis erat. In
 hoc vnum viuebat, vt disceret, nec disce-
 re potuit, nisi dum vixit, nec viuere vo-
 luit nisi dum disceret. Virunque igitur
 pari fine conclusit, Siquidem (quod mul-
 ti faciunt auctores) in illo supremo fu-
 gientis vitæ spiritu, cum inter assidentes
 sermo fortè grauior esset obortus, ille
 sollicitus senex, moribundum caput ex-
 tulit, & opinantibus amicis ipsum (quod
 tali statu multis accidit) & inuifratum

COR-